



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 77. Burgundus filiam suam juniori Sabaudiaë Duci in uxorem dare
pollicitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

ad dicere, suumque imperium Ducatu et-
iam Mediolanensi ac Neapolis Regno au-
gere decrevit. Verum ea, quæ vano
atque inani mentis somnio conceperat,
qua arte, qua ratione pertexere coepe-
rit, recenseamus, atque ab ipso Sabau-
diam subigendi consilio auspicemur.

§. LXXVII.

*Burgundus Filiam suam juniori
Sabaudia Ducis in uxorem
dare pollicitus.*

Eo tempore Sabaudis imperabat Ama-
dæi IX. Filius, quem Pater ejus
morte præventus, adhuc puerum Jolan-
dæ de Francia Matris suæ, ac Ludovi-
ci XI. Sororis tutelæ commendabat;
Hæc erga Franciam, quamvis illa natale
ejus solum esset, omnem tamen affectum
ex animo suo ejecisse videbatur; forte
iniquius ferebat, quod Amadæo in uxo-
rem data patrios lares relinquere com-
pulsus esset, ut Carolinæ Sorori suæ lo-
cum cederet, quæ Ludovico XI. sociali-
bus vinculis juncta fuit: nisi fors dicere
possemus, adeo in ejus mente amorem
erga filium suum prævaluisse, ut is
omnem cujuscunque alterius affectus
scintillam restinxerit. Hanc ergo, ut sibi
devinciret, Burgundiæ Dux missis ad
eam Legatis, juveni Sabaudia Ducis fi-
liam suam in futuram tori sociam obtulit.

M m 3

Ducissa

Sæcul. XV.
A.C. 1475.

Sæcul. XV. A.C. 1475. Ducissa de Burgundi proposito vix satis edocta erat, cum jam præcipiti consilio, ac neglecto Galliarum Regis fratris sui commodo, commentitio ac inani Ducis consilio consentiret, atque ex subditis suis longa militia magis exercitatis quinque millia conscriberet, eosque Burgundionum copiis adjungeret. Hujus foederis auspicio Burgundus ab ultimis Frisæ finibus usque ad Mediolanensem Ducatum longa ac continua suarum ditionum serie imperium ingentibus incrementis protendere, hocque pacto alterum ambitionis suæ commentum novis Mediolanensis Ducatus accessionibus explere potuisset.

§. LXXVIII.

*Mediolanensium Dux Burgundi
amicitiam postulans.*

Summæ rerum in Mediolanensi Ducatu eodem tempore præerat Galeatius Sfortia Francisci Sfortiæ nothi Filius; hujus Parens, cum Venetorum copiis imperaret, Ducatum vi occupabat, quem proin in Filium suum nonnisi usurpatorio nomine transferre poterat. Mediolanenses pacato Francisci Sfortiæ regimini jamjam assueti Galeatium velut monstrum ex hominum consortio protinus eliminandum habebant, atque conjurationem